(6.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
PARTURITIONE HÆMORRHAGICA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES MOTHERWELL,
Hibernus.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.
MDCCCXXV.

PATRUO SUO CARISSIMO,

ANDREÆ MOTHERWELL, ARMIGERO,

DE BALLYMOTE, IN COMITATU SLIGOENSI,

HOCCE OPUSCULUM,

TENUE, UNICUM, SED, ANIMI GRATI SINCERUM PIGNUS,

OB MAXIMA BENEFICIA

ET CURAM ERGA ILLUM PATERNAM,

DEDICAT

FILIUS LUSTRICUS

AUCTOR.



NECNON,

AMICO SUO PERDOCTO

B. CARTER, M.D.

&c. &c. &c.

IN OPPIDO SLIGOENSI,

ARTEM APOLLINIS CUM SUMMA LAUDE COLENTI,

HANC DISSERTATIONEM,

OBSERVANTIA SUMMA

OFFERT

AUCTOR.

2/

Dr Woodforde with best wishes from his friend the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PARTURITIONE HÆMORRHAGICA.

JOANNE MOTHERWELL Auctore.

MIHI aliquid scripturo pro summis in medicina honoribus, mens multum divisa fuit, quid pro argumento tentaminis mei seligerim: certe copia ampla mihi adfuit, unde optionem facerem, sed hinc orta fuit difficultas: tandem in mentem de "Parturitione Hæmorrhagica" scribere occurrit, et modum curandi, et remedia, quæ optima esse inveni dicere. In hocce opusculo, in animo est solum de hæmorrhagia, tribus mensibus graviditatis posterioribus accidente, et tantum de parturitione, vel Dystocia hæmorrhagica, uti a Doctore MERRIMAN designatur, disserere.

Hic morbus definiri potest, " Profluvium sanguinis ex utero gravido, vel inter parturiendum " vel post fœtus et secundarum expulsionem."

Morbum in tres species distribuere propono, et omnes ejus aggressus, vel formas, sub hac divisione includi posse puto.

1*mo*, Hæmorrhagia a casu orta, scilicet, ubi placenta partim vel in toto, injuria aliave causa separata sit.

2*do*, Hæmorrhagia quæ non evitari potest, scil. ubi placenta os uteri, vel partem ejus, obtegit.

3*tio*, Hæmorrhagia atonica, scil. ubi post partum vires uteri ad contrahendum non satis fortes sint.

Non alter morbus est, quam hic, de quo nunc scripturus sum, qui medici curam, et attentionem maximam, sibi magis vindicat; animæ enim duæ vel plures in ejus manus sunt, et ni mature, et promptitudine summa, auxilium præbet, tempus aliquid boni faciendi cito dilabitur, rivus enim sanguinis sæpe intra parvum tempus profluit, et ægra moribunda fit priusquam aliquid auxilii adhibeatur.

Ordinem hunc sequi in animo est, scilicet, trium specierum causas, symptomata, prognosin, diagnosin, et curam exponere.

CAUSÆ.

Primæ Speciei.—Pleræque hæmorrhagiæ tribus mensibus graviditatis posterioribus accidentes, sub hac specie includi possunt. Hæc species sæpius inter pauperes et eas victum ab opere quotidiano obtinentes, quam inter divites accidit; quippe hæ, quam illæ, injuriæ magis obnoxiæ sunt. Causæ ejus præcipuæ sunt, vis externa, nempe, ictus, contusiones, &c. quibus placenta, vel portio ejus, separata sit; exercitationes laboriosæ, subitæ animi affectiones, veluti ira, terror, gaudium; ea quæ magnam virium intensionem requirunt, scilicet, magni ponderis elevatio, inebrietas, plethora, debilitas, veneris cultus immodicus, purgantia drastica, et ea præcipue quæ rectum irritant, ut aloëtica; cantharides simili ratione agunt, vesicam stimulando; nisus graves ad mingendum et alvum dejiciendum, funis brevitas, status uteri morbidus; præterea, dicere pigit, medicamenta varia, consulto a fœminis morum depravatorum, causa abortum efficiendi, ingesta fuisse;—hæ sunt causæ speciei hujus.

Secundæ Speciei.—Placentæ positio super os uteri hujus speciei sola causa esse videtur: hic casus aliquando, sed fortasse raro, hæmorrhagiam causat, priusquam nona mensis fere completa sit; nam ut periosteum cum osse, sic placenta cum utero crescit; perraro equidem placenta hunc situm occupat: Medicus in hac civitate, qui tria millia ampliusve obstetricâssit, mihi dixit, se tantum exempla quatuor hujus situs placentæ vidisse.

Tertiæ Speciei.—Priusquam causas hujus speciei enumero, recte erit dicere eam in duas species distinctas dividi posse; quarum prima ante placentam extractam, secunda post fœtum et involucra extracta, accidit. Causæ hujus mali sunt adhæsiones secundarum morbidæ, uteri ad contractionem inabilitas, separatio placentæ partialis, secundarum incauta, subita, vel violenta extractio, fœtus parvus, ideoque facile expellendus, plerumque placentæ extractionem difficilem facit, ob exiguam uteri actionem; et propterea quod Doctores GUL. CAMPBELL et MERRIMAN in eorum prælectionibus, discipulis admonent, ne fœtum extrahant, capite nato, sed potius doloribus ex-

pulsionem effici sinant, et recte (me judice) expulsionem melius et tutius a doloribus effici dicunt; et sic uterum satis contracturum ad hæmorrhagiam evitandam, quæ aliter accidat. De hac re certior factus sum; semel ad mulierem parturientem advocatus, et examinatione per vaginam facta, uteri dilatationem tantum inceptam esse inveni; tamen paucis momentis post, contra spem, membranæ ruptæ fuere; ego (ut talibus casibus plerumque accidit) puerperium diuturnum expectavi; nihilominus, semihora post, fœtus exiguus partus est, et nunquam plus difficultatis, in placentam extrahendo, quam in hoc casu, expertus sum, propter exiguam uteri actionem.

Hæ sunt causæ hujus in parturitione mali, prædisponentes et excitantes. Proxima causa specierum trium eadem est, scilicet, solutio continuitatis inter uterum et involucra.

SYMPTOMATA.

Signa quæ hæmorrhagiæ, præsertim primæ speciei, præcedunt, sunt, frigoris sensus per totum corpus, circa mammas flacciditas, calor et horror

interdum alternantes, sitis, pulsus frequens, et præcipue dolores abdominis, dorsi, et lumborum, parturientium instar. Ubi hæmorrhagia erumpit, signa alia, et sæpe infaustissima, superveniunt; et præsertim, ubi sanguinis profluvium sit profusum, hæc symptomata accedunt, scilicet, debilitas maxima, faciei pallor, extremitatum frigor, pulsus frequentissimus et debilissimus, sæpe ad carpum non percipiendus, vomitus, animi deliquium, hysteria, respiratio laboriosa et suspiriis interrupta, convulsiones, et tandem mors ægræ ærumnas terminet.

PROGNOSIS.

Difficile est equidem medico prognosin de hujus morbi eventu dicere; plerumque caute dicenda est. In omni hæmorrhagia summi momenti est medico causas ejus cognoscere; nam sic melius judicabit, quid fieri oportet. Sæpe multum sanguinis effunditur, qui non in conspectum venit: interdum inter placentam et uterum, vel placenta omnino vel tantum ad latus separata, in uterum ipsum, profluvium sanguinis sæpe accidit, et non extra partes externas erumpit, propter fœtus caput

os uteri obsidens: hinc oritur difficultas dicendi quantum sanguinis amittatur. Hæmorrhagia periculosior est ubi sanguis rapide, et quasi rivo pleno fluit, quam si tarde et parce fluxerat; et ea profusa reditus ejus timendus est. De periculo etiam judicandum est pulsu debili, et frequentissimo faciei pallore, et artuum frigore; interdum arteriarum pulsus ad carpum non sentiri potest. Inquietas, animi deliquium, respiratio profunda, laboriosa et suspiriis interrupta, et convulsiones sequuntur; ex his signis, respiratio laboriosa et convulsiones præcipue lethalia sunt. Alias hysteria et vomitus accidunt, quæ signa non tam infausta sunt: præsentia dolorum bonum signum est; si enim hæmorrhagia gravis sit doloribus comitata, felicior est quam si dolores nulli adsint, et tanto magis illi ægram opprimunt, quanto citius curatio efficitur; illorum enim præsentia vires non omnino dilabi probat. Hoc aphorisma etiam demonstrat, exhibitionem opii plena dosi contraindicari.

DIAGNOSIS.

Morbus de quo scribo vix cum ullo alio confundi potest; vix equidem inter species ipsas, diagnosin aliquem proferre necesse est; tertia enim non postulat, sed fortasse recte erit differentiam inter primam et secundam speciem demonstrare. In ambabus sanguinis fluxus profusus est, sed in specie prima, hæmorrhagia minor est doloribus urgentibus, et iisdem multum levatur, et ante dolorem erumpit; in secunda vero, sanguinis profluvium erumpit dolore urgenti, et plerumque post dolorem fluit, quippe uteri dilatatio, in omni nisu placentam magis magisque ab utero separat. In prima specie placenta non sentiri potest, manu per vaginam introducto; in secunda potest, et facile per tactum medico solerti distinguenda, patet.

RATIO MEDENDI.

Inter disserendum de hujus morbi curatione, in animo est, præsertim dicere quomodo ægra obstetricanda est, si prima vel secunda specie cor-

repta sit, quas enumeravi; et quæ remedia optima sunt, ad hæmorrhagiam sistendam si tertia. Ubi enim signa jam alibi enumerata accidunt, necesse erit opem ferre mulieri parturienti, nam hic modus spem maximam ægram servandi offert. In primis mensibus vasa sanguinea uteri parva sunt, et sæpe mulier usu venæsectionis, remediorum astringentium, et quiete uterum ad tempus solitum gerit; contra vero, in mensibus provectis, hæc remedia nihil prosunt, propter uteri vascularitatem: hoc tempore, methodus agendi optima certe erit, primo mulierem obstetricare, et postea conari hæmorrhagiam sistere; quibus indicatio tertia adjiciatur, nempe, sanguinis profluvium inter obstetricandum temperare.

In casibus quibusdam, ubi profluvium parcum, et signa supradicta lenia sint, eadem remedia, ac in abortu usurpanda sunt; et ad hæmorrhagiam sistendam, tentandum est; ad hoc quies, aër cubiculi moderate gelidus, cubile durum, positio supina, cathartica lenia, ut infusum rosæ, cum salibus mediis, astringentia interne et externe, potus refrigerantes et acidulati, adhibenda sunt: si plethora adsit, sanguis, vena secata, e brachio detrahendus est, pro ægræ viribus; diæta lenis

esse, et ex herbis, et fructibus maturis constare oportet. Hoc more hæmorrhagiæ levioris momenti sistuntur, et mulier ad tempus solitum uterum gerit. Sed ubi res aliter sese habent, et profluvium adeo copiosum sit, ut vitam minaretur, necesse erit mulierem quamprimum obstetricare. Ad hoc faciendum, medici alii multum naturæ viribus confident; alii vero, os tincæ digito introducto, dilatari jubent: mihi videtur dilatationem ejus fluxu sanguinis bene effici; omnibus enim notum est, quantum missio sanguinis, ad id dilatandum, etiamsi rigidissimum, confert; flacciditas ejus nimia certe signum infaustum est, debilitatemque indicat. Si vultus et arteriarum pulsus fere naturales sint, et artus non frigescant, signum faustum est, et nihil aliud necessarium erit, nisi ægræ animum firmare. Sin aliter res sese habeant, opem ægræ ferre oportebit. Optima agendi methodus erit; membranas quam cito rumpere, qua ratione uterus sæpe contrahit, et sanguinis profluvium multum minuitur. Inter omnes vero non convenit eas tam cito rumpendas; enim plerique medici dicunt, dilatationem uteri, membranis os ejus prementibus, maxime adjuvari; sed post sanguinis amissionem, os tincæ, ut supra

memoravi, raro rigidum esse invenitur. Si actio uterina et vires non ad fœtum expellendum sufficient, tunc necesse erit, manu per vaginam introducto, membranas rumpere, et fœtus pedis prehendere, quæ in vaginam trahendæ sunt. Inter hoc agendum, medico obstetricanti, curæ esse debet, cavere ne pedes geminorum sint; sed non meum est, quomodo hoc malum evitandum est, hic demonstrare.

Ad nixus parturientes eliciendos, nil melius erit quam pressura super abdomen; et simul in vaginam digitus intromittendus est. In plerisque casibus, postquam femora extra partes venerant, mulier extemplo sublevanda est; nam simul ac illa expulsa sunt, vita fœtus in dubio est, propter partium internarum pressuram, super funem umbilicalem. Si funiculi pulsatio non sentiri potest, vita ejus in periculo est, nisi caput cito natum sit. Inter obstetricandum vires ægræ sustinendæ sunt, et siquando uteri vires deficient, stimulantia diffusibilia administranda sunt, veluti opium, spiritus vini tenuior, vinum rubrum, &c.; hæc remedia et uterum ad contractionem stimulant et vires sustinent. Opium a quibusdam in hæmorrhagiæ exemplis, plena dosi adhibitur; id est,

ad corpus totum, et per consensum uterum ipsum, sedandum; enim hac ratione dicunt inducias obtineri posse, quibus vasa sanguinea jam exhausta replentur, et extrema clauduntur. Mihi vero potius videtur, opium dosi media adhibendum esse; nam sic vires et nixus parturientes renovati fœtum expellunt.

In secunda specie, regulæ eædem quæ in prima commendavi bene respondent; quinetiam manus per vaginam introducenda, et placenta separanda est; quomodo et quando hoc optime fiat, medico obstetricanti notum erit; mihi scribenti difficile est equidem aliquas directiones, quæ in omni casu respondeant, exponere. Hæc species periculosa est propter uteri vascularitatem, eo tempore gestationis provecto; et præterea quia omnis nixus parturiens, placentam ab utero magis magisque separat, et continuitate inter eam et uterum soluta, arteriarum ramuli hiant sanguinemque profundunt, nec aliquid auxilii præberi potest, priusquam fœtum in lucem edi. Modus hæmorrhagiam sistendi quem ab initio commendavi, tunc tentandus est.

Ubi secundæ utero adhærent post fœtus partum, hæmorrhagia timenda est. Hoc notum est uteri

tumore post fœtus expulsionem, funi umbilicali non descendente, dum abdomen comprimimus, et nostra inabilitate vel difficultate ad ejusdem insertionem in placentam tangendum, digitis per funem intromissis. In omni exemplo ubi secundæ utero adhærent, manus, oleo vel adipe bene lubricatus, in uterum immitti, et causa retentionis observari debet. Si nulla adhæsio morbida sit, detrahi intra horam oportet. In exemplis quibusdam detrahi nequit, propter spasmum, et præcipue contractionem illam "horologicam" dictam. Cum cognovimus hanc adesse, arte uti debemus; et cum hoc consilio, ad spasmum solvendum et actionem uteri abnormem minuendum, tincturæ opii guttæ L. vel LX. adhibendæ sunt; et cum ægra somnolenta fit, quod plerumque intra quartam vel dimidiam horæ partem accidit, extractio tentanda est.

In aliis exemplis vero, ubi adhæsio morbida est, inter placentam et uterum, periculum maximum metuendum est: in multis equidem, secundæ non separari possunt, absque uteri laceratione, et si non extrahantur, mors per gangrænam certe sequitur. Unum exemplum hujusmodi, quod tamen feliciter desivit, mihi videre accidit, una cum

Doctore GUL. CAMPBELL. In hoc casu, pars placentæ figura quadrata trium digitorum magnitudine, cartilaginosa fuit, propterea quod non statim detrahi potuit. Sed usu sanguinis detractionis, et tepidorum injectionum, in uterum ipsum, post horas viginti sex, absque periculo, detracta fuit; injectiones solutionis sulphatis aluminis etiam usurpatæ fuere, ad gangrænam obstandum.

In altera divisione hujus speciei, nempe, sanguinis profluvium, post fœtus partum atque secundarum expulsionem, ratio medendi et medimenta quæ antea enumeravi, utenda sunt: de iis pauca separatim dicam.

Opium adhiberi debet dosi modica, ad ægræ vires sustinendas. Astringentia in ventriculum ingesta tarde agunt, et spes maxima ab iis magis de applicatione topica pendere videtur: ad hoc consilium, solutio sulphatis aluminis, vel corticis quercus decoctum, injicienda sunt. Si apparatus ad injiciendum idoneus obtineri nequit, manus hoc liquore perquam gelido immersa, in uterum introducenda est; et altera manu simul pressura super abdomen fiat, donec uteri contractio sentiatur.

Aqua frigida super abdomen illisa curationi multum confert; hoc facile perficiatur, et semper in promptu est. Præterea maxima quiete, toro duro, aëris frigidi libero transmissione, opus est.

Remedium alterum est, nempe, Clavus secalinus, Gallice *Ergot* dictum, quod nuperrime medici collaudarunt: multo sæpius apud Americanos quam Britannos usurpatum est. Doctor STEARNE de *New York* effectus ejus publicavit; et Doctor MERRIMAN, in appendice ejus operis de Arte Obstetrica, quædam exempla ejus effectuum refert; videtur actionem uteri gravidi excitare sine intermissione, sed nullum effectum erga non gravidam habere. Dr MERRIMAN supracitatus dicit, exhibitionem ejus semper mortem fœtui afferre, nisi caput in sacro sit, vel super perinæum premat.

Quibusdam occurrit feliciter administrari posse, in exemplis hæmorrhagiæ uterinæ; et hoc consilio in medicina usurpatum fuit, et semper exitium infelicem fœtui tulit: propter hanc causam solam exhibitio ejus certe vitaretur.

Mulieri convalescenti, diæta enutriente et facile concoctu opus est, et vino rubro pro re nata. Affectus animi et corporis, exercitationes laborio-

sæ evitandæ sunt; et si ægra iterum gravida fiat, nuperrime, regimine antiphlogistico uti, imperatum fuit.

Postquam hæc scripseram, facultas remedii ultimi, nempe *Ergot*, effectus observandi, mihi obtulit in uno alterove casu: unum memorare hic satis erit.

M. K. ætat. 25, mulier habitu plethorico, statura mediocri, puerperio primo doloribus 16to Januarii correpta fuit hora 10ma A. M. Primum parturitionis stadium 11ma P. M. completum, et hora post membranæ ruptæ fuere. 17mo 1. 30 A. M. fœtus caput pelvim bene occupavit, et perinæum compressit usque ad horam 6^{tam} A. M. quo tempore fœtus natus est. Puerperium diuturnum fuit, propter internarum partium matris tumefactionem, externarum rigiditatem, fœtus capitis magnitudinem, et ejus ossificationem solito maturiorem. Inter parturiendum, sanguis ad ʒ xxij. detractus, et versus finem perinæum oleo bene lubricatum est. Post secundarum expulsionem, hæmorrhagia perquam profusa accidit, et subinde reversa est usque ad horam 9^{nam} A. M.

Ratio medendi, in hoc casu usurpata, eadem fuit ac in plerisque casibus a Doctore Campbell curatis, scilicet, manus aqua frigida immersa in uterum introducta est, et injectiones duæ frigidæ fistula armata communi adhibitæ fuere, et simul minister alias abdomen cum oleo terebinthinæ fricavit, et alias aqua frigida aspersit. Spiritus probatus ad ℥ vj. dosibus partitis, porrectus est; et post singulas doses, contractio sentiri possit, sed non satis efficax ad hæmorrhagiam sistendum. Rebus sic sese habentibus, consultu amici H. Thompson, chirurgi, decoctum clavi secalini adhibitum est; et quinque minutis horæ contractio fortis quæ hæmorrhagiam suppressit, sentiebatur.—Formula sequitur :

℞. Clavi secalini contusorum seminum, No. 10. Aquæ ferventis, ℥ viii. Coque paulisper, et cola. Dimidium pro dose sumatur, et repetatur semihora, si opus sit.

Etiamsi vultus pallor, pulsus debilis aliaque signa, multum sanguinis amissum fuisse, indicavere; tamen ægra cito revaluit, diæta enutriente adhibita, et post dies quatuor uber infanti præbuit.

FINIS.